

# **Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Rectore ... Dn. Friderico Avgvsto, Elector. Saxon. Herede,  
ac Reliqua, Dissertationem Moralem, De Eo Qvod Homini  
Convenit Circa Brvta**

**Calo, Johann Adam Calo, Johann Adam**

**Vitembergae, MDCCVI.**

**VD18 13000616**

Aporismvs IV. Etsi quidem in bruta non cadat iniuria, committendum  
tamen non est, ut immani crudelitate in ea saeuatur, aut merae  
uoluptatis explendae causa occidantur.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-13719**

## IV.

Diximus in Aphorismo usui quoque hominibus esse bruta ad uitae iucunditatem, quo autem ipso indicamus uenationes et alia honestae uoluptatis certamina, in quibus bruta inter se committuntur. Haec ipsa exercitia, si moderate et cum ratione iis indulgeatur, improbanda minime uidentur. Rationes uide apud *Matthiam in Theatro Historico de prima Monarchia quæst. 4.* et apud *Franzium in Praefatione ad Historiam suam animalium. Pufendorff. lib. IV. c. 6. §. 6.*

## V.

De uitae commoditate, quam bruta praestant hominibus, tanto parcius quaedam sunt afferenda, quanto luculentius ea omnibus constare potest. Tum praecipue equorum usus proficiscentibus maxime prodest, qui uel equo uel curru equis iuncto inter paucas horas longa itineris interualla emetiri possunt. Varios modos iungendi equos uide apud *Schefferum in Libro de Re uehiculari*, eruditissimo scripto. Oneribus portandis elephantes, cameli aliaque animalia praecipue in orientalibus Regionibus inferuiunt. De quibus *Itineraria Olearii, Tauernierii* aliorumque consuli possunt.

## APHORISMVS IV.

Et si quidem in bruta non cadat iniuria, committendum tamen non est, ut immani crudelitate in ea saeuatur, aut merae uoluptatis explendae causa occidantur.

EX SECTIS.

## I.

**I**niuriam cadere tantum in illud Subiectum, quod et intellectu et uoluntate libertateque moraliter agendi gaudet, inconfesso est. Cum igitur in brutis insignes hae facultates  
non

non deprehendantur aut in earum potestate positum, non sit, nolle aut uelle quicquam, neque iuris capacia, esse, neque etiam ulla affici iniuria possunt. Quamuis non ignoremus, quid *Laurentius Valla lib. III. Dialecticorum*, *Thomas Campanella lib. II. de sensu rerū et Rovarius* conati sint, qui brutis quoque tribuunt intelligendi vim uolendique. Ante illos multa attulit *Plinius in H.N. de intellectu serpentum et affectu et de ingeniis auium lib. X. cap. 41. De intelligentia coruorum cap. 43 de fide et pudicitia columbarum cap. 34. Admiratur Lipsius in Epistola 44. Cent. I. ad Belgas*, fidem, blanditias industriamque canum. At uero haec Aristoteles recte tantum μιμήματα τῆς ἀνθρώπινος ζωῆς *lib. IX. H. N. cap. 7. Cicero simulacra uirtutum*, appellat. Addatur si placet *Grotius lib. I. de I. B. et P. cap. I. §. I.* Non tamen eo cum *Cartesio* aliisque, qui hunc antecesserunt, dilabimur, ut omnem sensum obiectorum per phantasiā apprehensionemque brutis denegemus.

## II.

At uero diceret quis, si in bruta non cadit iniuria, cur tamen praemiis atque poenis, ut uidetur, afficiuntur? Meminit enim ipsa Scriptura Sacra poenarum, ut *Gen. 9. v. 5. Exod. XXI. v. 28. Leuit. XXV. 17. 16.* At uero hic respondemus cum *Seldeno de I. N. et G. sec. disc. Ebr. c. 5. lib. I. etiam Hug. Grot. d. I. B. ac Pacis lib. II. cap. 2. §. II. 3.* non propter delictum bruta fuisse interfecta, ac si peccassent, sed ut tum publicae securitati consuleretur, tum etiam dominus ob suam negligentiam in custodiendo pecore, poenam daret. Addatur *Zieglerus in Not. ad Grot. p. 489.*

## III.

Etsi quidem, ut antea docuimus, bruta nulla laedi possunt iniuria, laeditur tamen is, qui tam liberaliter in ea homini dominium indulgit, si nimirum foedae uoluptatis

ptatis explendae causa immuni crudelitate discerpan-  
tur, lacerentur perdanturque. Sicuti enim ordinatio  
et institutum Numinis est, ut ad usum conuertantur,  
nostrum, sic eorum plane conatus improbantur, qui  
brutis aliter uti, ac praescriptum est diuinum, uolunt, ut  
in Aphorismo secundo annotauimus. Quis enim est ar-  
tifex, qui se laesum maxime non existimet et iure suc-  
censeat ei, quem uidet machinam a se egregie elabo-  
ratam et rebus humanis optime inseruientem nefario  
ausu destruere, conuellere, in opprobriumque artifi-  
cis dehonestare. Recte hac de re monet *Pufendorff l. c.*  
*§. 7. Vti singularum ciuitatum interest, nequis re sua male*  
*utatur, ita et in detrimentum uniuersae mortalium societatis*  
*et in contumeliam creatoris uergit, petulanter inutiliterque*  
*bruta perdidisse.* Nec enim frustra in S. Codice extare  
putemus uerba speciatim *Proverb. C. XII. v. 10. Iustus iu-*  
*mentorum suorum miseratione tangitur, sed uiscera impiorum*  
*crudelia sunt* Plura Scripturae dicta uide apud *Pufen-*  
*forffum l. c.* allegata. His sine dubio nihil aliud Spiritus  
Sanctus docere uoluit, quam ut agamus secundum  
rationem et naturam rerum nec contra fines temere,  
quicquam committamus. Quod ipsum etiam ad ar-  
bores et inanimata extendi docet *Deut. C. XX. v. 19. ubi*  
*in obsidione urbis alicuius arbores fructiferae excindi probi-*  
*bentur, nulla forte alia de causa, quam quod meliori-*  
*bus usibus erant destinatae.* *Becmannus in Lineis Moral.*  
*Cap. XVII. §. 13. Seldenus lib. VII. Cap. 1. de I. N. et G.* Ne-  
que profecto ii homines se et rectae rationis compotes  
ostendunt, qui effrena libidine perciti intempestiuis  
uerberibus vulneribusque aut nimis oneribus bestias  
excruciant maleque tractant, aut eas inedia & alia ra-  
tione misere confici sinunt.

IV. Quan-

## IV.

Quanquam etiam uenationes et certamina in quibus captae ferae inter se congregiuntur, nihil incongrui in se habeant, temperanter tamen iis indulgendum est, ne transiliamus honestatis et mansuetudinis leges. Si enim uenator ex miseri animalculi caede, et laniatu nihil nisi uoluptatem quaerit, dubium est, quin faciat, quod fini respondeat, sed potius lasciui-entis animi praebeat argumentum. Qualem deprehendimus in Domitiano Imperatore, qui muscas captare styloque praeacuto configere in delitiis habebat. *Sueton. in vita Domitiani §. 3.* Merito etiam hic damnantur certamina illa, quae homines confidenter cum brutis subire solent uanam gloriam uitae praeponentes. Qualis mos tum apud Graecos, tum Italos et Persas obtinuit. Non ineliganter hunc ritum, perstringit *Aurelius Prudentius in Hamartigenia seu carmine de origine peccatorum pag. 209. Editionis Weitzianae:*

*Inde feras uolucris temeraria corpora saltu*

*Transiliunt, mortisque inter discrimina laedunt.*

Erudite ad hunc locum obseruauit *Weitzius* non hic intelligi bestiarios, qui ad bestias damnati sunt, quas *Paulus ἐπιδαρτίς* appellat II. ad Corinth. IV. v. 9. sed eos, qui auctorati hoc faciebant et spectaculo meridiano operam locabant, luxuriaeque caedem parabant. Res haec cum periculi plenissima sit, sic animi temeritate et uitio non vacat, nemini enim fas est uires et corpus suum profernere et Rempublicam membro alias utili sine necessitate priuare. Conferatur *Henrici a Lith Disputatio de Iure Hominis in bruta.* Nos praesentem laborem uerbis Iosephi

phi

phi Scriptoris rerum Iudaicarum solertissimi obfignamus, inueniuntur ea *lib. II. contra Appionem pag. 1075. Edit. Colon. 1691.* Θεὸς πόρρωθεν ἡμερότητα καὶ Φιλανθρωπίαν διδάσκειν ἡμᾶς ἐσπέδασεν, ὡς ἔδε τῶν ἀλόγων ζώων ἀλιγώρηκεν. ἀλλὰ μόνου μὲν ἐφῆκεν τῶν χρησιν τὴν νενομισμένην πᾶσιν, τὴν δ' ἑτέραν ἐκώλυσεν: *Deus eximie nos mansuetudinem atque clementiam studuit edocere, ut etiam de animalibus irrationalibus non taceret: sed horum tantummodo utilitatem legitimum concedens ab omni nos alia causa prohibuit.*

**SOLI DEO GLORIA.**

